







RECTOR

VNIVERSITATIS LITTERARVM TVRICENSIS

COMMILITONIBVS

CERTAMINA ERVDITIONIS PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNOS MDCCCLXXI—LXXII

INDICIT

PRAEMISSA EST

ARNOLDI HVG COMMENTATIO

DE PSEUDODEMOSTHENICA ORATIONE ADVERSVS

ZENOTHEMIN.



TVRICI

TYPIS ZVRCHERI ET FVRRERI

1871

DE ORATIONE ADVERSVS ZENOTHEMIN

COMMENTATIO.

De oratione aduersus Zenothemin, quae in Demosthenicarum orationum ordine alterum et tricesimum locum obtinuit, postquam recentioribus temporibus Arnoldus Schæfer[1]) et Adolphus Philippi[2]) copiose disseruerunt, ut ego denuo quaerere instituerem, idcirco factum est, quod de compluribus rebus uiri docti illi mihi non persuaserunt. Cum enim de quibusdam rebus facere non possem quin in Philippii sententiam contra Schæferum transirem, tamen multis ille locis subtilius atque argutius quam uerius disputasse mihi uidebatur. Ita accidit, ut cum neuter mihi satisfaceret in nouam ipse paulatim opinionem adducerer, quam legentium oculis et iudicio nunc propositurus sum.

Res qualis sit ut intellegamus, a principio ordiamur necesse est.

I.

Hegestratus Massiliensis[3]) erat nauicularius. Is ab Atheniensibus quibusdam mutuatus erat pecuniam, ita ut nauis pignori esset[4]); quo in pacto scriptum fuisse uidetur, ut nauis Athenas rediret[5]). Vector[6]) erat Protus mercator[7]), qui cum et ipse peregrinus[8]) esset ab Atheniensi Demone, Demosthenis propinquo[9]), eiusque sociis argentum mutuum sumpserat, mercibus quas in nauem imposuerat, pignori obligatis. Eiusmodi pacta conuenta Graeci *συμβόλαια εἰς*

---

[1]) A. Schæfer Demosthenes und seine Zeit III. B. p. 292—296. [2]) Jahrbücher für Philologie 95, p. 577—593 „das Fragment der demosthenischen Rede gegen Zenothemis.“ [3]) Or. adu. Zenothemin § 8. [4]) § 14: *οἱ ἐπὶ τῇ νηΐ δεδανεικότες* erant Athenienses. [5]) § 9: *ὅθενπερ ἀνήχθη*, in Dionysodorum (56) § 3: *δανεισάμενος παρ' ἡμῶν ἐπὶ τῇ νηΐ τρισχιλίας δραχμὰς ἐφ' ᾧ τε τὴν ναῦν καταπλεῖν Ἀθήναζε καὶ* et q. seqq. [6]) *ἐπιβάτης*. [7]) *ἔμπορος*, § 15: *εὐθέως ὁ Πρῶτος (τοῦτο γὰρ ἦν τοὔνομα τῷ τὸν σῖτον εἰσαγαγόντι, τῷ τὰ χρήμαθ' ἡμῖν ὀφείλοντι).* [8]) § 29: *ἅμα ἂν αὐτὸν προσεκαλοῦ καὶ κατηγγύας πρὸς τὸν πολέμαρχον.* [9]) § 31.

ἀμφοτερόπλουν adpellant[10]). Exportabat enim Protus Athenis merces, quae quales fuerint nescimus; his uero in Sicilia diuenditis, cum aliae merces eiusdem fere pretii, quae item Demoni pro pignore essent, Athenas essent reuehendae[11]), Syracusis[12]) frumentum coëmit.

II.

Narratione ipsa, quam orator instituit, Syracusas statim ducimur[13]). Ibi postquam frumentum suum Protus iam in naue conlocauit[14]), fraude agere incipit Hegestratus nauicularius, qua in re eum adiuuat Zenothemis quidam et ciuis et socius[15]). Hegestratus enim feneratorem quemdam Syracusis habitantem precibus adit, ut sibi pecuniam crederet; pignori se ei obligare magnam uim frumenti quam in naue ipse haberet. Haesitanti uero feneratori atque interroganti, num uerum esset quod diceret Hegestratus, Zenothemis, qui se ipsum mercatorem uectoremque eiusdem nauis esse simularet[16]), adfirmauit frumentum illud, quod Proti erat, esse Hegestrati. Ita per dolum altera de eodem frumento syngrapha facta est ab Hegestrato cum Syracusano illo. Hac re gesta Zenothemis alii Syracusano item ut pecuniam sibi mutuam daret eodem Proti frumento oppignerato persuadere conatur. Qui cum ex Hegestrato, eiusdem urbis ciue, num fides haberi posset Zenothemidi, quaereret, Hegestratus ut par erat item officiosus erat in illum, adseuerans Zenothemin frumenti magnam copiam in nauem suam imposuisse. Dat igitur alter ille Syracusanus etiam Zenothemidi pecuniam: ita tertia de eodem frumento fit syngrapha. Quae postquam omnia optime cesserunt, geminum illud in latrociniis par, Hegestratus ac Zenothemis pecunia quam per fraudem acceperant clam Massiliam missa nauem quae Athenas reueheretur soluerunt[17]).

Hanc narratiunculam quicunque perlegerit, ei lepidissima sane uidebitur: sed cum omnia animo lustraris, mira etiam usi esse fortuna uidebuntur homines illi duo scelesti. Facile enim quaeras, qui fieri potuerit, ut Syracusani feneratores, dum nauis in portu erat, neque inter se unquam de syngraphis, quas cum Hegestrato et Zenothemide separatim eodem pignore obligato fecerant, conloquerentur neque in portum uenirent frumenti inspiciendi causa, ubi cuius

---

[10]) Philippius p. 578. [11]) aduersus Phormionem (34) § 9. [12]) § 12, 15, 18. [13]) inde a § 4. [14]) § 4: *ἐνεῖναι σῖτον ἐν τῇ νηῒ πολύν.* [15]) § 4: *ὑπηρέτης*, § 8: *λέγων ὡς αὐτός τε καὶ τὰ χρήματ' ἐκεῖθέν ἐστι*, § 15: *ὁ σὸς κοινωνὸς καὶ πολίτης.* [16]) § 4: *ὧν δὲ ὁ μὲν ναύκληρος, ὁ δ' ἐπιβάτης.* [17]) § 5 init.

re uera illud esset, audirent aut ex Proto ipso aut ex magistratibus: apud eos enim, qui emebant frumentum, nomen dedisse ipse orator auctor est[18]).

III.

Sed missis his dubitationibus conscendamus potius cum ceteris nauem; perlustremus ante omnia itineris comites. Adsunt quos iam nouimus Hegestratus dominus nauis et Zenothemis; hi, cum in syngraphis, quas per dolum fecerant, scriptum esset, quod solebat, reddendam esse, si nauis superesset, pecuniam[19]), iam pecunia in locum tutum translata, quomodo nauem submergerent ipsi incolumes, clam ineunt consilium. Inter itineris socios deinde Protum fuisse cum frumento suo et consentaneum est et ex eo conligitur quod postquam nauis Athenas aduenit, cum Zenothemide statim narratur certasse[20]). Erant inter eos complures Massilienses[21]), erant deinde alii quidam, quorum alter in § 15, alter § 16 loquens inducitur. De his igitur nulla dubitatio est. Praeter eos uero Syracusanos quoque creditores et Hegestrati et Zenothemidis nauem conscendisse Philippius censet[22]). Veri simile hoc uidetur duabus ex causis: primum enim fieri solebat, ut in eis pactis, quae erant *εἰς ἑτερόπλουν* (hoc loco ex Syracusis Athenas), creditores ipsi eadem naue in illum locum de quo conuenisset ueherentur, ubi statim sortem cum usuris acciperent[23]); deinde narrantur in oratione nostra creditores illi (*οἱ δανεισταὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς ἐξηπατημένοι*[24]) Zenothemidi in iudicio adfuisse ut qui ipsos decepisset eum in decipiendo Demone adiuuarent. Quodsi in iudicio adfuerunt, sequitur etiam eos cum Zenothemide ceterisque in eadem naue Athenas uenisse; eos enim quominus statuamus postea demum ab Atheniensibus amicis de periculo rebus suis imminente monitos Athenas sese contulisse, obstare uidetur paruum unius mensis spatium, quod litibus mercatoriis in hac urbe concessum erat.

Vna igitur uehebantur eodem nauigio et Protus et Hegestratus et Zenothemis et Hegestrati et Zenothemidis creditores; in eodem nauigio erat frumentum, quod emerat Protus, quod suum esse creditoribus suis ementitus erat Hegestratus Zenothemidis testimonio usus, suum esse etiam Zenothemis ipsius

---

[18]) § 18: *ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τὴν τῶν Συρακοσίων, κἂν μὲν ἐωνημένος τὸν σῖτον ἐκεῖνος φαίνηται καὶ τὰ τέλη κείμενα ἐκείνου καὶ τὰς τιμὰς ὁ διαλύων ἐκεῖνος* et q. seqq. [19]) § 5: *σωθείσης τῆς νεὼς ἀποδώσειν τὰ χρήματα.* [20]) § 14. [21]) § 8: *μετὰ τῶν Μασσαλιωτῶν τῶν τοῦ Ἡγεστράτου πολιτῶν.* [22]) Philippius p. 579. [23]) Aduersus Phormionem § 7, § 23, quos locos Philippius adhibuit. [24]) § 12.

creditoribus dixerat teste Hegestrato ipso. Quae si tecum reputaueris, nonne mirum tibi uidebitur ne tunc quidem inter homines illos de frumento, quod unus quisque eorum aut putaret suum esse aut simularet, mentionem in sermonibus esse iniectam, non litem exortam, non denique fraudem improborum hominum esse detectam? Nisi forte putas mercatores illius temporis non de negotiis suis uel confectis uel conficiendis, sed de litteris tantum et artibus liberalibus inter se esse confabulatos. Duos enim uel tres dies concordissime in naue uiuebatur; fraus uero si patefacta esset, non licuisset Hegestrato ea conari, quae conatum eum esse mox uidebimus.

IV.

Dum igitur inter omnes summa pax est, insidias clam struunt nouas Hegestratus et Zenothemis. Narrationi enim inserendum est aliquid, quod in argumentatione quasi in transcursu edocemur. Vide quemadmodum coarguerit Hegestratum et Zenothemin unus eorum qui adfuisse dicuntur § 16: *πρὸ γὰρ τοῦ διακόπτειν ἐπιχειρῆσαι τὴν ναῦν τίθενται πρός τινα τῶν συμπλεόντων οὗτος καὶ Ἡγέστρατος συγγραφήν*. cf. § 19: (*ὅτι*) *ἐν τῷ πλοίῳ τὴν συγγραφὴν ἔθετο*. Ad quae G. H. Schæferus: »adparet syngrapham inter nauigandum factam tanquam appendicem fuisse *τοῦ κακουργήματος*: ut, si forte, quod accidit, non succederet nauis demersio, manu frumento iniecta haberent unde nomen Syracusis contractum dissoluerent.« Quodsi illi obtemperandum, quartam hic habemus syngrapham eamque item per dolum confectam; idem enim Proti frumentum oppigneratur pro pecunia, quam Hegestratus dicitur a Zenothemide mutuam accepisse. Qua cum explicatione etiam Arnoldus Schæfer facit.[25]) Veram esse eam docent quae sequuntur: tali enim syngrapha nisus posteaquam nauis Athenas aduenit, Zenothemis frumentum ut sibi ab Hegestrato pro pignore datum ipse uindicat.[26])

Sed prorsus aliter Philippius[27]) statuit de § 16 uerbis. »Huic syngraphæ, inquit ille, nihil commune est cum hoc Zenothemidis consilio; nihil ea pertinet ad hanc, de quae agitur, litem; aut mera rhetorica amplificatio est, aut commemorare uolebat orator aliquod praeteriti temporis factum.« Quod utinam quale fuisset nobis significasset vir ille doctus: ita uero explicare est desperare

---

[25]) p. 294. [26]) § 2, 12, 14, 15. [27]) p. 581.

de explicatione. Quae deinde uerba statim sequuntur: *εἰ μὲν εἰς πίστιν ἔδωκας — τί πρὸ τοῦ κακουργήματος ἂν τὰ βέβαια ἐποιοῦ, εἰ δ' ἀπιστεῖν ἐτύγχανες, τί οὐχ ὥσπερ οἱ ἄλλοι τὰ δίκαια ἐλάμβανες ἐν τῇ γῇ;* ea profecto non possunt non ad argentum a Zenothemide Hegestrato mutuum datum, ad *δάνεισμα* illud, de quo agitur inde a § 14, pertinere. Quod dicit Philippius hoc si ita se haberet debuisse articulum (*τήν*) ad *συγγραφὴν* uocem addi, id ne uerum quidem est: quando qui haec testatur, tum, cum uidebat illud scriptum, quid contineret ignorabat; nunc demum quae sit syngrapha intellegit, postquam Zenothemis frumentum suum esse declarauit.

Difficiliora esse ad refellendum concedo quae argumenta praeterea Philippius attulit. Hanc enim syngrapham, quae in § 16 commemoratur, scriptam et depositam esse narrari primis itineris diebus (*πρὸ τοῦ ἐπικόπτειν ἐπιχειρῆσαι τὴν ναῦν*). Cum autem nouum illud consilium frumenti uindicandi in Cephallenia demum a Zenothemide initum esset auctore ac suasore Aristophonte, qui in insulam illam ab Athenis naui obuiam esset missus,[28]) non potuisse syngrapham fieri eius consilii causa quod multo post esset concoctum. Obstare igitur huic sententiae illud, quod architectus et machinator eius doli Aristophon diceretur. Sed Aristophonte omisso si re uera iam tum temporis Zenothemis tale consilium iniisset, tum neque futurum fuisse ut nauem submergere uellet neque postea ut Massiliam iter auertere conaretur; imo eum directo itinere Athenas uectum falsa hac syngrapha nisum lite fuisse acturum. Hæc acute Philippius.

Iam eo adducti sumus, ut, cum Schæferi utriusque explicationem solam ueram habeamus, tamen quae a Philippio obiecta sunt, ea partim item esse uera concedamus. Quibus angustiis qui nos expediamus, infra erit dicendum. Hoc unum moneo: syngrapha illa si quid uult, testamenti instar esse uidetur, quod *πρὸ τοῦ κακουργήματος* Hegestratus Zenothemidi ut suauissimo laborum et furtorum socio reliquerit, ut si quid ipse, id quod accidit, in naue demergenda pateretur eaque demersio non succederet, frumentum saltem Proti per dolum amico obtingeret. Quis est qui non admiretur magnam inter Hegestratum et Zenothemin communitatem, quae ut Cicero ait conficitur ex beneficiis ultro citroque datis acceptisque; qui non laude dignam putet fidelitatem et curam, quam fur antequam uita decederet furi praestiterit?

---

[28]) De quo uide infra p. 8.

V.

Biduo autem uel triduo praeterlapso[29]) iam tempus esse rei gerendae arbitrabantur. Dum noctu Zenothemis cum ceteris uectoribus in constrato nauis uersatur ac uultu sereno cum eis familiares confert sermones, ecce strepitus ex infima naue ad aures eorum penetrat. Perterriti omnes concurrunt, descendunt, Hegestratum deprehendunt fundum perforantem. Irati supplicium ei minantur; fugit Hegestratus: cum autem in lembum se conicere uellet, eo non inuento in mare delapsus haustus est: *κακὸς κακῶς ἀπώλετο*. Zenothemis autem ut uere philosophus ne punctum quidem temporis socio et amico misere amisso perturbatur animo: quasi totius rei ignarus esset et metu perculsus eis quae acciderant, persuadebat rectori et nautis 'ut lembum naue relicta conscenderent: mox enim fore ut perforatum nauigium interiret. Obstante uero ac repugnante uectore quodam, qui *ὁ παρ' ἡμῶν συμπλέων* adpellatur[30]), ne, quod ille uoluerat, nauis desereretur effectum est, deorumque auxilio et nautarum strenuitate praemiis ac pollicitationibus excitata feliciter in Cephalleniam insulam peruenerunt.

Haec ceteroqui bene ac lepide narrata sunt[31]): unum miror, quod patefacto Hegestrati scelere Zenothemin ne tum quidem, cum in eodem consilio nauis perdendae audacter perseueraret, socium fuisse illius facinoris intellexerint: expectaueris enim statim ceteros uectores Zenothemin ulcisci aut uinctum saltem in Cephalleniam insulam ducentes iudicibus tradere. Quorum nullum fit omnino.

Reliqua quaestio quinam fuerit ille *ὁ παρ' ἡμῶν συμπλέων*, quem supra diximus Zenothemidi obstitisse. In diuersas de eo abierunt sententias interpretes: Penrosium enim, qui explicauerat »an agent of Demon and Protus«, secutus A. Schæferus eum procuratorem Demonis adpellat eundemque esse statuit atque Aristophontem, cuius nomen nobis occurrit in §§ 11 et 24. Cui explicationi uerba § 11 obstare intellexit Philippius[32]): eis enim nos edoceri, Aristophontem postea in nauem esse submissum. Factum autem hoc esse, postquam nauis in Cephalleniam peruenisset, luculentissime adparet ex his uerbis § 11 *ἡνίχ' οὗτος ἔπραττεν ὅπως ἡ ναῦς μὴ καταπλεύσεται δεῦρο, πρεσβευτὴν λαμβάνομεν*[33]) quibuscum conferas § 22: *ὅτ' ἐν Κεφαλληνίᾳ μὴ δεῦρο*

---

[29]) § 5: *ὡς ἀπὸ τῆς γῆς ἀπῆραν δυοῖν ἢ τριῶν ἡμερῶν ὁδόν.* [30]) § 8 initium. [31]) § 5—8 med. [32]) p. 578. [33]) Ceterum obscurissimo molestissimoque loquendi genere orator hoc loco usus est. Sunt enim multa quae offendant in hoc enuntiato: *ἐκ τούτων ἕνα*,

πλεῖν τὴν ναῦν ἔπραττεν. Quod si *ὁ παρ' ἡμῶν συμπλέων* non est Aristophon, quid superest nisi ut cum Philippio Protum ipsum his uerbis significari statuamus? Protus similem in modum § 12 nominatur *ὁ παρ' ἡμῶν ἐπιπλέων.*

Adsentior igitur Philippio cum statuit, Protum ab oratore participem et curatorem societatis Demonis significari, sed non adsentior eidem hoc factum excusanti. Plerumque enim Protus non curator, non socius Demonis dicitur, sed debitor, conferas locum a Philippio laudatum § 14: *ἦν δ' οὗτος ὁ ἡμῖν τὰ χρήματ' ὀφείλων.* Neque desunt loci, ubi Protus a Demone eiusque sociis ut diuersa persona distinguatur § 25: *αὐτός τε κερδᾶναι καὶ ἡμῖν τὰ δίκαια ἀποδοῦναι,* § 26: *ἡμεῖς οἱ δεδανεικότες προσεκρούομεν αὐτῷ,* quid quod in § 17 socius quidam Proti commemoratur: *ὁ κοινωνὸς τοῦ Πρώτου Φέρτατος*? Inde concludimus aliam fuisse societatem Demonis, aliam debitoris eius Proti. Quod autem hoc loco factum est, ut diuersae debitoris et socii notiones inter se coniungerentur uel confunderentur, id etiam accidit in § 18 et 19. Vide pluralem numerum in uerbis: *τοῦ σίτου ἀφιστάμεθα.*

VI.

In Cephalleniam cum uenissent, Zenothemis noua machina usus id agebat ne nauis Athenas rediret.[34]) Massiliam eam uehi uolebat; qua in re adiuuabatur a uectoribus quibusdam Massiliensibus.[35]) Cum autem alii obsisterent, inter quos Protum fuisse consentaneum est, res defertur ad magistratus huius

---

ἡνίχ' — δεῦρο, πρεσβευτὴν ἐκ βουλῆς τινα λαμβάνομεν γνώριμον οὑτωσί, ὅ τι δ' ἦν οὐκ εἰδότες et q. seqq. Mirum est illud *τινα* post *ἕνα* quod praecessit; mirum deinde *λαμβάνομεν πρεσβευτὴν*, cum expectes *ἐπέμπομεν* uel simile quid. De: *ἐκ βουλῆς* uerbis dubitant interpretes; alii enim de senatu acceperunt, alii scribi iusserunt: *ἐπιβουλῆς*, ut cum *πρεσβευτὴν* uoce coniungerent explicarentque Gallice „agent de fourberie"; alii denique interpretati sunt: „communicatis inter se consiliis" uel „inito consilio" (sic Reiskius, Wolfius). Mirum profecto etiam hoc, quod hic Cephalleniae insulae notio omittitur, in quam ex aliis orationis locis constat Aristophontem esse missum. Fuit igitur cum haec uerba corruptissima haberem atque Cephalleniae nomen in eis latere putarem. Conieceram enim ut in loco desperatissimo: *πρεσβευτὴν εἰς Κεφαλληνίαν ἐπέμπομεν.* A qua coniectura, quam audaciorem esse confiteor, nunc melius perspecto orationis loquendi genere desisto; hoc solum etiam nunc teneo, in eis quae sequuntur non scriptum fuisse *γνώριμον οὑτωσί*, quod latine „sic" uel „obiter" (nostrum: „nur so oben hin") interpretantur, sed: *τουτῳΐ* h. e. Zenothemidi: hoc si acceperis in promptu est cur Aristophon mox societatem inierit cum hoc Demonis aduersario. [34]) § 8. [35]) l. l. *πάλιν μετὰ τῶν Μασσαλιωτῶν τῶν τοῦ Ἡγεστράτου πολιτῶν·* mirum est eos non potius Zenothemidis quam Hegestrati, qui mortuus est, ciues nominari.

insulae. Lite cecidit Zenothemis decernentibus illis nauem Athenas, unde profecta esset, redire debere.[36]) Veri simile est hanc sententiam latam esse ex Demonis ac Proti syngrapha, cuius apographum in testimonium adhiberetur.

Putat Philippius Zenothemin ab Athenis iter auertere uoluisse metu adductum ne Demone et Proto accusante ab Atheniensibus iudicibus condemnaretur. Hoc etiamsi concedas, uix perspicitur, cur Massiliam cursum a Cephallenia dirigere uoluerit. Hoc ut faceret, inquiet fortasse quispiam, adhortabantur eum uectores quidam ciues Massilienses. Audio. Sed ex Charybdi incidimus in Scyllam. Qui enim Massilienses Syracusis hanc nauem conscenderant, ei quin Athenas uel in Graeciam saltem se conferre uoluerint dubitari nequit: ecquis igitur eorum postquam orae Graeciae adpropinquarunt subito consilium mutasse putandus est ut rursus Syracusas unde exierat reuersus urbem illam praeteruectus in Galliam longo itinere reueheretur? An credamus desiderio urbis patriae subito eos flagrasse?

Iam quantus stupor Zenothemidis in argumentis, quae pro itinere Massiliam conuertendo in lite ipsa protulit: *λέγων ὡς αὐτός τε καὶ τὰ χρήματ' ἐκεῖθέν ἐστι, καὶ ὁ ναύκληρος εἴη καὶ οἱ δεδανεικότες Μασσαλιῶται.*[37]) Se ipsum Massiliensem dicit: hoc uerum, sed nihil attinet in mercatore et lite mercatoria. Dominum nauis esse (imo: fuisse; Hegestratus enim uita decessit) Massiliensem; quod item absurdum. Pecuniam ex Massilia uenisse, feneratores ipsos esse Massilienses: hoc sane nouum; pecuniam enim, pro qua nauis obligata erat, Atheniensem fuisse supra commemoratum est; pecuniam autem eam, pro qua per dolum Proti frumentum erat oppigneratum, Syracusanam fuisse uidimus. Mentitus est Zenothemis, inquiet quispiam, et nouam eamque quintam de eodem pignore syngrapham uel simulauit uel finxit ingeniosus ille fraudum inuentor, quae Massiliae a se cum feneratore illius urbis *ἐπ' ἀμφοτερόπλουν* esset facta. At uero Syracusanis ipsis creditoribus praesentibus, qui syngraphas cum Hegestrato et Zenothemide confectas secum habebant, non potuit Zenothemis eius generis mendacia proferre. Tacent autem Syracusani illi in iudicio, quasi haec res ad se nil pertineret. Recte igitur Philippius non intellegi dicit cur hi feneratores qui una uehebantur nec aut in itinere aut in Cephallenia dolis Zenothemidis intercesserint nec quidquam egerint, antequam Athenas uenissent.

---

[36]) § 9 cf. § 14 initium. [37]) § 8 extrem.

His difficultatibus ita succurrere sibi uisi sunt Schæferus et Philippius, ut Syracusanos et Massilienses feneratores eosdem esse dicerent, eosdem uero etiam uectores illos Massilienses, qui auctores itineris Massiliam dirigendi fuissent. His enim postquam se deceptos esse uidissent a Zenothemide, ne omnia amitterent, iam in itinere conuenisse cum illo, ut dolo communi Protum fraudarent; id quod re uera postea factum esse dicit orator.[38]) Qua coniectura ut concedo difficultates aliquot minui, ita relinquuntur aliae quae tolli nequeant. Qui enim persuaderi poterat iudicibus, frumentum quod Massiliensi emporio destinatum esset id ex Sicilia in Graeciam et ex Graecia rursus in Siciliam, deinde uero Massiliam uehi? Quod maius est, huius rei ne ullum quidem uestigium in narratione nostra uideo. Syracusis (§ 4) aes alienum contraxerant: ex Syracusis ergo, non ex Massilia argentum uenerat; Syracusis habitauerint necesse est feneratores illi, qui etiamsi ciues Massilienses, Syracusani inquilini fuissent, non poterant nulla addita explicatione *Μασσαλιῶται δεδανεικότες* adpellari. Nego igitur equidem oratorem, cum Massilienses creditores adpellaret de ueris Syracusanis creditoribus cogitasse: imo mentientem uoluit nobis Zenothemin inducere et nouos creditores nouam syngrapham fingentem; parum ipse curans ut mendacium quod illi tribueret, speciem aliquam ueri similitudinis praeferret.

VII.

Comitemur etiam nauem ex Cephallenia Athenas redeuntem. Eidem uehuntur quos iam nouimus. Tantam fuisse Zenothemidis impudentiam queritur orator, ut dolis suis patefactis nihilominus Athenas uenire auderet ac noua moliri. Praeter hunc igitur erant Protus, Syracusani feneratores, Massilienses aliique homines priuati. Nouus itineris comes eis accesserat unus Aristophon, qui homo ut erat peruersis moribus prodita Demonis causa ad quam defendendam in Cephalleniam missus erat perfidiose ad partes Zenothemidis transiit eique nouarum machinarum extitit suasor. Hoc in itinere maxime sermones et consilia conferebat Aristophon cum Zenothemide et Syracusanis feneratoribus quippe quibus ut illum contra Protum defenderent persuaderet, Zenothemidi autem ipsi auctor erat, ut frumentum sibi ab Hegestrato pro pignore esse relictum diceret.[39]) Admirabile hercle conlegium latronum quorum et uoluntas et causa impudentissima: inter fures unus Protus honestus homo.

---

[38]) § 12: *τούτῳ συνδικεῖν ἀναγκάζονται τοῦ συμφέροντος ἕνεκα τοῦ ἑαυτῶν.* [39]) Quod pugnare cum § 16 iam supra p. 7 uidimus, cf. § 10 et 11. Ceterum infra separatim de Aristophonte accuratius dicemus in capite XI.

Verum enimuero cauendum ne hunc iusto plus laudemus. Non solum infra conqueri uidebimus Demonem, quod Protus quoque perfidiose fecerit, sed etiam crimina adfert, quae Zenothemis in lite quadam Proto obiecerit, et adfert ita, ut uerum dixisse Zenothemin ipse significet. Verba autem Demonis sunt haec:[40] *εἰ μὲν γὰρ ἃ γέγραφεν οὗτος* (h. e. Zenothemis) *εἰς τὸ ἔγκλημα ἐποίει, οὐκ ὀφλεῖν ἂν δίκην δικαίως, ἀλλ' ἀποθανεῖν ὁ Πρῶτος ἔμοιγε δοκεῖ· εἰ γὰρ ἐν κακοῖς καὶ χειμῶνι τοσοῦτον οἶνον ἔπινεν ὥσθ' ὅμοιον εἶναι μανίᾳ, τί οὐκ ἄξιός ἐστι παθεῖν; ἢ εἰ γράμματ' ἔκλεπτεν ἢ ὑπανέῳγεν; ἀλλὰ ταῦτα μὲν αὐτοὶ πρὸς ἑαυτοὺς ὑμεῖς ὅπως ποτ' ἔχει διακρινεῖσθε· τῇ δ' ἐμῇ δίκῃ μηδὲν ἐκείνης πρόσαγε. εἴ τί σε ἠδίκηκεν ὁ Πρῶτος ἢ λέγων ἢ ποιῶν ἔχεις ὡς ἔοικε δίκην· οὐδεὶς ἡμῶν ἐκώλυσεν οὐδὲ νῦν παραιτεῖται. εἰ σεσυκοφάντηκας, οὐ περιεργαζόμεθα.* Haec uerba non sunt eius cui constet illum hominem de quo loquitur culpa esse uacuum.

Vini ergo Protum cupidiorem fuisse in itinere maritimo Zenothemis dixerat: cui cupiditati non solum dum sudum esset indulsisse sed ne tempestate quidem exorta sibi temperauisse. Vitio deinde ei uersum erat, quod litteras quae Zenothemidis essent aut intemperanter aperuisset aut impudenter intercepisset. Ebrietatis crimen Philippius hoc ualuisse censet, ut labefactaretur Proti narratio de Hegestrati conatu nauis demergendae eiusque morte: nempe illa nocte procellosa eum ita fuisse uino oppressum ut testimonium eius nihili aestimandum esset. Quod ut concedo acute excogitatum esse, ita acumen Philippii in meras argutias abiisse censeo in eis quae de *γράμμασιν* illis statuit: *γράμματα* haec esse syngrapham a Proto cum Demone factam; surripuisse Protum eam interpolandi causa ei, apud quem deposita esset. Quod uereor ne sibi soli persuaserit. Cum enim alterum crimen quod est de ebrietate ad iter maritimum pertineat, hoc est ad illud tempus, quo una in eodem nauigio fuerant Zenothemis et Protus, consentaneum est alterum quoque de scriptis illis cuiuscumque generis erant surreptis ad idem tempus esse referendum. *γράμματα* deinde graeca uox generalior notio est quam quae possit de una quadam syngrapha usurpari. Iniuriam porro *τοῦ κλέκτειν* vel *ὑπανοίγειν γράμματα* ipsum Zenothemin passum esse adparet; quod autem delictum syngraphae surreptae Philippius statuit, hoc commissum foret in argentarium aliquem: apud eos enim syngraphae deponebantur. Intellegendum denique est, nihil lucraturum fuisse Protum ex inter-

[40]) § 27 et 28.

polanda uera syngrapha, quam cum Demone antequam nauis Athenas exiret fecerat, nihil certe, quod Zenothemidi noceret: syngrapham uero eum post demum finxisse, quod aliquanto aptius esset, id non inesse in his uerbis *κλέπτειν ἢ ὑπανοίγειν* nemo est quin uideat, quando syngrapham fingere Graece est *συγγραφὴν ψευδῆ ποιεῖσθαι*.[41])

VIII.

Simulac portum Atheniensium illi intrarunt, nauem occupant ei feneratores qui in eam Hegestrato pecuniam mutuam dederant, frumentum Protus qui emerat. Intercessit autem Zenothemis qui cum Aristophonte superueniens suum illud esse diceret ut pignus sibi ab Hegestrato pro pecunia commodata significatum. Inde rixa oborta cum neque Protus neque alii Zenothemin deterrere possent, ne frumento potiretur, conati sunt Protus et Phertatus socius eius eum deducere (*ἐξάγειν*). Sed frustra. Ne tum quidem, cum Protus obferebat ac pollicebatur se Syracusas reuersum Syracusanorum magistratuum arbitrio rem permissurum qui ex tabulis suis testarentur uter emisset frumentum, quidquam proficiebatur. Declarabat Zenothemis nemini sese cessurum nisi Demoni ipsi; ab eo se deduci passurum. Necessario igitur Demon ipse, Protus cum ei pignus tradidisset, Zenothemin deduxit inde ut lite apud iudices ageretur.

Hac in narratione ratio necessitasque quae inter Demonem et Protum intercesserit, hoc modo exposita est, ut quo nomine adpellemus, simus nescii. Confusas enim hic uideri notiones debitoris a creditore diuersi et socii supra iam[42]) significaui. Mirum deinde silentium de Syracusanis creditoribus Hegestrati et Zenothemidis; qui si Athenas una cum ceteris uenerant, cur in illa altercatione inter Protum et Zenothemin exorta non testimonium suum interposuerunt aut contra Zenothemin aut pro illo, si Philippio credendum est, iam in itinere pactum eos clandestinum cum Zenothemide inisse? Quid quod ne in § 18 quidem, ubi Protus ad Syracusanos magistratus prouocat, ullius Syracusanorum praesentium mentio fit neque a Proto ipso neque a Zenothemide?

Philippio deinde adsentiendum dicenti ordinem rerum turbari his uerbis inde a § 18 extr.: *ταῦτ' ἐκείνου προκαλουμένου* usque ad *λέγε τὰς μαρτυρίας* § 19 extr. Non solum enim displicet additum illud *ἔν τε τῷ πλοίῳ τὴν συγγραφὴν ἔθετο*, quod suspectum esse dicit Philippius sed totus ille locus. Eo

---

[41]) Vide Isaei or. 9, 7. [42]) p. 9.

enim inepte anticipari hoc, Demoni ipsi Zenothemin esse expellendum, quod consequatur ex testimoniis quae postea demum adferantur. Tamen ineptiorem esse hunc locum multis aliis huius orationis nego[43]); nec si ineptus, inde abiudicandus ab oratore nostro.[44])

Quaeritur denique quare Zenothemis a Demone maluerit quam a Proto frumenti possessione expelli. De quo postquam alii alia excogitauerunt, ueram causam Philippius sibi inuenisse uisus est. Nempe noluisse Zenothemin *δίκην ἐξούλης* in Protum instituere, cui persuasurum sese speraret, ut in suas transiret partes. Admiranda profecto sagacitas erat Zenothemidis, qua augurraretur id fore, quod frustra adhuc eum conatum esse ex eo adparet, quod Protus frumentum uindicat. Admirabile etiam Demonis ingenium qui quamuis sincere ut Philippius ipse putat[45]), ad Syracusanos magistratus Protus prouocaret idem quod Zenothemis de Proti perfidia praesagiret itaque id ipsum faceret, quod Zenothemis fieri uellet.[46]) Hanc uero explicandi rationem artificiosiorem esse censeo: multo sane simplicior de Vriesii sententia[47]), idcirco maluisse Zenothemin cum Demone lite agere quam cum Proto, quod ille esset pecuniosior.

IX.

Zenothemis igitur de possessione frumenti a Demone deiectus actionem ei intendit mercatoriam (*δίκην ἐμποριχὴν*); quam *δίκην ἐξούλης* fuisse (actionem unde ui) recte statuere uidetur Philippius[48]). Ei actioni Demon exceptionem (*παραγραφὴν*) opposuit: hanc de qua agimus orationem habuit in iudicio. Attendamus igitur quomodo rem suam instituerit.

In libello Zenothemidis, qui § 2 laudatur, scriptum erat hoc: *δανεῖσαι* (h. e. se) *Ἡγεστράτῳ ναυκλήρῳ, τούτου δὲ ἀπολομένου ἐν τῷ πελάγει ἡμᾶς* (Demonem eiusque socios) *τὸ ναῦλον σφετερίσασθαι.* Iam cum in ceteris

---

[43] prorsus item inepte additum est § 20: *προειδώς θ' ἅπαντα ἐφαίνετο ἃ ὁ Ηγέστρατος ἐκακούργει.* [44]) Errauit etiam in eo Philippius quod dixit p. 582, not. 9 *διαμαρτύρεσθαι* uocem (§ 18) eo sensu, quo deberet hoc loco accipi: „contestari ut educerent" non nisi apud recentiores scriptores adhiberi. Eadem enim notione imperandi inuenitur etiam in oratione in Apaturium (Dem. or. 33) § 20, *διαμαρτυρομένου τοῦ ἀνθρώπου ἐναντίον μαρτύρων μὴ ἀποφαίνεσθαι καθ' αὑτοῦ ἄνευ τῶν συνδιαιτητῶν.* [45]) p. 586. [46]) Philippius p. 585: „und in der That wäre die Exmission durch Demon nicht begreiflich, wenn dieser an Protus einen treuen Schuldner gehabt hätte. Dass aber des letztern Charakter stark verdächtigt wird, ist ein neues Moment, welches Demons Schritte bestimmt haben mag." [47]) De fenore nautico p. 90; quem locum Phil. laudauit. [48]) p. 584.

omnibus locis quotquot inueniuntur siue in soluta oratione siue apud poetas *ναῦλον* vox significaret pretium uehendi fuerunt etiam qui hic quoque hanc significationem statuerent; alii uero duas has notiones »Ladung und Fracht« coniunctas esse putabant. Philippius contra recte cum Boeckhio de mercibus uel oneribus nauis solis cogitandum esse dixit, cum per totam orationem non nisi de frumento ageretur. Quodsi sibi constitit orator, *ναῦλον* voci talem inesse significationem uoluit, qualis nusquam alibi quantum equidem uideo deprehenditur.[49])

Cum autem multa essent exceptionis genera, hoc sibi elegit Demon ut formam actionis illegitimam esse diceret: non pertinere hanc litem ad actiones mercatorias. Nec enim negotium nec syngrapham sibi fuisse ullam cum Zenothemide; legem uero iubere actiones mercatorias non dari nisi de pactis conuentis syngraphisque quae pertinerent ad merces Athenis et Athenas uehendas. Schæfero Demonem reprehendenti[50]) quod subdola et sophistica argumentatione usus esset, oblocutus est Philippius[51]) cui ita equidem adsentior ut dicam etiam alios oratores similem in modum formula illa: *ἄν τις παρὰ ταῦτα δικάζηται μὴ εἶναι εἰσαγώγιμον* usas esse ad exceptionem instituendam; quamquam puto uerba illa quae in lege ipsa infuisse censeo tum cum scripta sunt aliter esse intellecta. Sed de hac lege alias exponere in animo habeo. Quamuis igitur in hoc argumentandi prooemio, quod est de exceptione ipsa, mea quidem sententia nihil sit quod abhorreat ab oratorum consuetudine, in narratione et argumentatione de re ipsa, quam Demo addit ut quasi *εὐθυδικίαν* praeuertat, multa esse incredibilia et supra demonstraui et infra exponam.

Mirum in modum media in rei ipsius tractatione recurrit exceptionis mentio, cuius causam idoneam in prooemio orator iam attulerat. Dico de § 21—23. Non in eo offendo, quod argumentationis loco uerbis ludit orator cum dicit § 23:

---

[49]) Ex Demosthene Bœckhius Staatshaush. der Ath. I² p. 185 attulit praeter hunc locum: in Timoth. (49) § 26: *τὸ ναῦλον τῶν ξύλων*, ubi uecturam h. e. pretium uehendi significare eam uocem apertum esset. Ambigere uero sese de altero loco: or. in Lacritum (35) § 32: *πρός τε γὰρ τὸ πλοῖον τὸ ναυαγῆσαν οὐδὲν ἦν αὐτοῖς συμβόλαιον, ἀλλ' ἦν ἕτερος ὁ δεδανεικὼς Ἀθήνηθεν ἐπὶ τῷ ναύλῳ τῷ εἰς τὸν Πόντον καὶ ἐπ' αὐτῷ τῷ πλοίῳ.* Diligenter uero et quae praecedunt et quae sequuntur perscrutanti (cf. Westermann, über die in die attischen Redner eingelegten Urkunden, p. 88 = Abhandlungen der philolog. histor. Classe der königl. s. G. d. W. Bd. I) dubium non erit quin hoc loco mutuatio quae facta sit in nauem et uecturam opponatur ei mutuationi, quae ad merces pertineat. Igitur hic quoque *ναῦλον* uectura est. [50]) p. 292. [51]) p. 591.

ἃ μὴ καταπλεῖν ὅλως οὗτος δεῦρο ἔπραττεν (h. e. frumentum), *ταῦτ' εἰσαγώγιμα τούτῳ ψηφίσασθαι*, ubi quaeritur utrum actio mercatoria *εἰσαγώγιμος* sit necne. Haud enim ignoro id genus multa in orationibus quibusdam inueniri. Quis autem credat Demonem post illum uerborum lusum statim exceptionem suam et legis uerba recitari a scriba iussisse: quod cum in media § 2 aptum fuerit, si factum esset, hoc loco absurdum est, cum manifestum sit nihil ioci illius de mercibus *εἰσαγωγίμοις* aut exceptionis libellum aut legem ipsam continere potuisse. Item inepta est quae sequitur in § 24 formula transitus: *ὅτι μὲν τοίνυν ἐκ τῶν νόμων παρεγραψάμην μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην, ἱκανῶς οἶμαι δεδεῖχθαι*: quae siue spectat ad § 23 siue ad totam narrationem et tractationem rei ipsius inde a § 14 usque ad 23, aeque absurda est: adeo sarciendi causa uidetur addita esse cogitationum lacunas.

Quoniam hoc loco attigimus ea argumenta, quae Graeci *πίστεις ἀτέχνους* adpellant, ad alia id genus transeamus. Duobus locis testes citantur. In posteriori (§ 19) tria testari iubentur: Zenothemin non a quoquam alio se possessione frumenti deici siuisse nisi a Demone ipso; prouocationem ad Syracusanos magistratus accipere noluisse, in naue fecisse uel deposuisse syngrapham. Quorum de duobus prioribus cum possit ab eis testimonium dari, qui rixae post aduentum de frumento obortae interfuerant, hoc quod ultimo loco ponitur, et per se est obscurum (de quo iam supra diximus[52])) et hoc loco alienum et ad alios pertinet testes. Grauioribus etiam difficultatibus prior locus de testibus laborat (§ 13). Demon posteaquam narrauit quae Syracusis, quae in itinere maritimo, quae in Cephallenia gesta essent, quae machinatus esset Aristophon, paullisper subsistit ut testes harum rerum produceret. Quid autem re uera testati sint ex incredibili multitudine rerum quae in unum conlatae sunt, id ne indicatur quidem nec magis manifestum fit quinam fuerint testes. Sic prorsus ignoratur qui testari potuerit mutuationes quae factae essent inter Syracusanos et Hegestratum et Zenothemin. Quae in naue accidissent, de eis testimonium dici poterat a uectoribus: de Proto ipso autem, quem iure expectes, cogitare uetamur § 28 uerbis hisce: *ἀλλ' ἐκποδών ἐστιν ἄνθρωπος. διά γε ὑμᾶς· ἵνα τὰς μαρτυρίας τὰς ἡμετέρας λίπῃ.* Quodsi ita est, cur non dicit Demon quemnam alium *τῶν συμπλεόντων* testem adhibuerit? Grauius uero illud quod in principio posui: nunquam contendo in uera oratione tantam diuersissimarum rerum farraginem in unum testimonium coniungi.

---

[52]) p. 6, p. 13 extr.

Dixi de testimoniis ab oratore adlatis: superest ut moneam de eis quae omisit. De eodem frumento si oratori credendum non minus quattuor extabant syngraphae: prima eaque sola uera inter Protum et Demonem, fictae inter Zenothemin et Syracusanos, inter Hegestratum et alios Syracusanos, inter Hegestratum et Zenothemin: quibus accedere denique uidetur quinta quam ementitus est Zenothemis inter se et Massilienses feneratores extare. Quae syngraphae cum apud trapezitam aliquem deponi solerent, cur non suam quae sola uera erat ab homine illo, cuius custodiae commiserat, petiuit Demon, ut pro testimonio uteretur? cur non eam in qua totius litis cardo uerteretur recitari iussit a scriba, id quod fiebat in omnibus huius generis actionibus? Sin casu uel fraude amissa fuisset, indicari id in oratione ipsa debebat. Suspitionem igitur mouet oratoris silentium de ipso eo testimonio quod grauissimum fuerit necesse est.

X.

Demon Zenothemide hortante, qui se ab alio deici non sineret, frumento potitus erat: pignus pro pecunia, quam mutuam dederat, acceperat a debitore[53]) Num igitur Protus, qui debito solutus erat, etiam liber euasit, quod iure expectaueris, litium et actionum periculo? Nihil minus. Non solum lis ei intenditur a Zenothemide, sed etiam controuersia ei oritur cum Demone. Etenim annona laxata grauiter ferebant Demon eiusque socii iacturam, quae postquam frumentum pro pecunia acceperunt sibi immineret. In Protum huius rei culpam conferre et ei conuitia facere nec aequum erat et stultum cum praesertim eius hominis testimonio in lite utendum esset. Sed fac Demonem tam incaute egisse. Quid autem de Proto ipso orator? Dicit eum postquam Athenas uenisset (*ὡς δὲ δεῦρο ἥκοντος αὐτοῦ καὶ περὶ ταῦτα πραγματευομένου ἐπανῆκεν ὁ σῖτος, ἄλλην εὐθέως ἔλαβε γνώμην*[54]) cum antea Demoni fidem seruasset, subito sententiam mutasse ita ut iacturam ex frumento imminentem, quod interim uilius factum erat, mallet in Demonem transferre. Quicunque autem narrationem a § 14 usque ad 20 perlegerit, is perspiciet oratorem sibi non constare. Ibi enim narratur Protus summa ui Zenothemidi restitisse suum esse dicens frumentum; quid quod etiam pollicetur se Syracusas profecturum? Non igitur Proti machinis sed Zenothemidis obstinatione ac perseuerantia id

[53]) § 20 *ἡμῖν ... παρειληφόσι τὸν σῖτον παρὰ τοῦ δικαίως ἐκεῖ πριαμένον.* [54]) § 25.

effectum esse illo loco dicitur ut frumentum a Demone possideretur. In illo deinde temporis momento inter altercationem Proti et Zenothemidis non poterat subito annona laxata Proti sententia mutari, ita ut nullum tempus reliquum sit in eis quae § 12—19 narrantur, cui adaptari possit quod § 25 et 26 exhibent [55]). Sin quis uelit hanc sententiae commutationem, quae ex annona laxata facta esse dicitur, posteriori tempori dare, is attendat suscepto a Demone frumento nihil omnino Proti interfuisse, quanti id uendi posset. Tantum de Proto et Demone.

Redeamus ad Protum et Zenothemin. Actionem non solum Demoni sed etiam Proto intendisse Zenothemin supra significaui. Mirum sane eum ita usum esse eo homine quem ad causam suam perducere uellet; mirum etiam ne tum quidem Zenothemin lite destitisse cum Protum conciliasset. Sed sumamus quod orator non sine quadam specie ueri dixit: in actione exequenda perseuerasse Zenothemin hac ratione ne subito desistens suspitiosus esset; eodem consilio etiam Protum concessisse ut in contumaciam condemnaretur [56]); at relinquuntur duae difficultates.

Quarum altera est de litis genere. Quamuis in eo consentiant Schæferus et Philippius ut arbitrentur etiam hanc litem mercatoriam fuisse et in ea de eodem frumento actum esse atque in altera, quae erat inter Zenothemin et Demonem, tamen hic aliquatenus eas inter se fuisse diuersas statuit. Qualis autem δίκη ἐμποϱικὴ fuerit, ipse se ignorare confitetur Ph. [57]). Iam uero cum ἔγκλημα illud, quod scimus § 27 contineri, prorsus alia habeat, quae abhorreant a litibus mercatoriis, eo confugit Philippius ut Zenothemin postquam frumenti possessione deiectus esset accusationem Proti prorsus mutasse putet; uerba igitur illa nouam hanc uel immutatam accusationem exhi-

---

[55]) Philippius p. 586 tale interuallum inseri uult post πϱόκλησιν, de qua § 18 agit. Prouocatione illa usum esse Protum probo etiamnum animo in Demonem et fideli. Quod autem postea Demon coactus esset ipse frumentum accipere et Zenothemin eo deicere, id esse factum Proti perfidia, in qua spem suam conlocasset Zenothemis quamque Demon persentisceret. Ipse uero doctissimus ille uir eo nomine oratorem uituperat, quod hanc fuisse causam illius rei non ipse indicasset. Quae reprehensio mihi quidem in ipsam Philippii interpretationem recidere uidetur utpote argutiorem et quae mirum quantum recedat a uerborum § 20 simplicitate. Quis porro non haec omnia quae inde a § 18 usque ad § 20 exposita continuo facta esse credet: Protus deducere conatur Zenothemin; declarat hic se a nullo deduci passurum nisi a Demone; prouocat Protus ad Syracusanos magistratus, perseuerat Demo in eo, quod dixerat: Demon ergo a Proto frumentum accipit, ipse Zenothemin deducit. [56]) § 26 et 27. [57]) p. 588.

bere. Sed hoc quoque inuito oratore nostro statuit, apud quem huius mutationis ne uestigium quidem deprehenditur. Quare haec item improbanda sunt atque illa quae eundem uirum doctum de *γραμμάτων* § 28 explicatione excogitasse diximus p. 12. Nec nobis magis continget quam ceteris ut hanc litem, quae a *δίκῃ βλάβης* proxime abesse uidetur, certius definiamus; lis certe mercatoria non fuit.

Altera difficultas existit de tempore. Hoc enim si teneamus, quod modo dictum est, litem mercatoriam eam non fuisse, quo modo fieri potuit ut cum eodem tempore ambae actiones institutae essent lis quae non mercatoria esset ante mercatoriam diiudicaretur? Res autem nota est breuissimum spatium mercatoriarum fuisse. Iam autem Protum condemnatum esse elucet ex § 27—29.

Demon quo dignius esset fide quod dixerat, conuenisse inter eos, ut Protus peregre abiret, haud inepte contendit in § 29: hoc nisi compositum fuisset, futurum fuisse ut Zenothemis Protum apud polemarchum sponsione obligaret. At uero cum addit § 30: *ἐγὼ γὰρ αὐτὸν κλητεύσω, σὺ δ' οὔτε κατηγγύησας οὔτε νῦν κλητεύεις*, in his notio *τοῦ κλητεύειν* i. e. citandi ineptissima est. Quo modo enim is nunc testis citari possit, quem ipse orator dicit in aliena uersari terra? Quodsi cum Philippio eo confugias, ut dicas oratorem se non nunc hoc facere profiteri sed facturum in lite de re ipsa, postquam exceptio perpetrata esset, respondeam hoc: si Protus Attica excessit ut testimonium uitaret, non admittet ille, ut redeat ante litem diremptam: neque hac excusatione, quae in futuro tempore posita est, alterius uerbi *οὔτε νῦν κλητεύεις* ineptiae ullo remouentur modo.

XI.

Digna est Aristophontis persona, quae separatim consideretur. Aristophon cum a Demone in Cephalleniam missus esset ut suam Protique rem procuraret, foedissime ad causam aduersarii Zenothemidis, cui si recte emendauimus ad § 11 [58]) iam erat notus, transiit. Inde uero narratur Zenothemidi omnium rerum gerendarum dux actor auctor fuisse. Tam peruersis moribus ille homo est, ut paene nefas habeat orator eum nominare. Audi sis eum dicentem § 10 et seqq. *τί οὖν ποτ' ἐστὶ τὸ αἴτιον καὶ τῷ ποτ' ἐπηρμένος οὗτος* (Zenothemis) *κατελήλυθε καὶ τὴν δίκην εἴληχεν; ἐγὼ ὑμῖν ἐρῶ, ἄνδρες δικασταί,*

[58]) Vide adnotat. 33.

ἀχθόμενος μὲν νὴ τὸν Δία καὶ θεούς, ἀναγκαζόμενος δέ· ἔστιν ἐργαστήρια μοχθηρῶν ἀνθρώπων συνεστηκότων ἐν τῷ Πειραιεῖ· οὓς οὐδ' ὑμεῖς ἀγνοήσετε ἰδόντες (sic!) *ἐκ τούτων — ἀτύχημα οὐδὲν ἔλαττον εἰ οἷόν τ' εἰπεῖν, ἀτυχήσαντες ᾗ τὸ ἐξ ἀρχῆς πονηροῖς ἀνθρώποις συμμῖξαι· οὗτος ὁ πεμφθεὶς ὑφ' ἡμῶν, Ἀριστοφῶν ὄνομα αὐτῷ, ὃς καὶ τὰ τοῦ Μικκαλίωνος πράγματα ἐσκευώρηται (ταῦτα γὰρ νῦν ἀκούομεν) ἠργολάβηκεν αὐτὸς καὶ κατεπήγγελται τουτῳΐ καὶ ὅλως ἐστὶν ὁ πάντα πράττων οὗτος· ὁδὶ δὲ ἄσμενος δέδεκται ταῦτα.* Deinde § 24: *τέχνην δ' ἀκούσεσθε τοῦ σοφοῦ τοῦ ταῦτα πάντα συντεθεικότος, τοῦ Ἀριστοφῶντος.* Vide ut prae indignatione nomen eius vix elidat.

Iam attende quaenam fuerint facinora a monstro illo immanissimo excogitata, quod perobscure dicitur officinae nescio cuius *μοχθηρῶν ἀνθρώπων ἐν Πειραιεῖ* fuisse.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

In § 12 narratur hoc: Aristophonte suadente Zenothemis decernit frumentum sibi uindicare, quo sub pignore Hegestrato pecuniam mutuatus sit. Qua in re turpiter sibi contradicere oratorem supra iam[59]) monuimus, cum ex § 16 necessario consequeretur hoc iam multo antequam Aristophon superuenisset, ipsos machinatos esse Zenothemin et Hegestratum. Superest § 24, in qua dicitur Aristophon una cum Zenothemide Protum ut a Demone deficeret sollicitasse. His duobus locis exceptis nulla usquam huius hominis mentio, ut cum poeta respondere liceat:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Tanta uero oratore teste etiam antequam Aristophontem conueniret, Zenothemidis et astutia et perfidia fuerat, ut Aristophontis persona cum ridicula uideatur propter fucum uerborum quo inuoluta est tum superuacua sit propter paucitatem eorum, quae egisse dicitur.

XII.

Reliqua sunt extrema orationis uerba.[60]) Per omnes deos item ut in insulsa illa de Aristophonte narratione iurans se uera dicere refert Demon adiisse sese precibus Demosthenem propinquum suum, ne sibi in hoc periculo deesset. Abnuisse illum quamuis inuitum: ex quo enim rempublicam capessiuisset, ne ullam quidem se causam priuatam suscepisse; pergit deinde sic: *ἀλλὰ καὶ τῆς πολιτείας αὐτῆς τὰ τοιαῦτα ἐξέστηκα.* Quibus uerbis si qui sensus inest, ita

[59]) p. 7. [60]) § 31 et 32.

explicanda sunt ut *τῆς πολιτείας αὐτῆς* genetiuus a uerbo *ἐξέστηκα* pendeat, *τὰ τοιαῦτα* sit accusatiuus graecus: »desii dicendo (*τὰ τοιαῦτα*) etiam publicas causas agere« uel »ne ad publicas quidem causas nunc prodeo.« Utut hoc est siue cum aliis putas haec uerba esse mutila siue mecum statuis esse ea aeque obscura ac multa alia in hac oratione, id quod antecedit, Demosthenem ex quo publicas res curasset, nullam priuatam causam defendisse, ne uerum quidem esse docet oratio pro Phormione [61]), quam omnes ad unum Demosthenis esse iudicant. Habita enim haec est anno 350 a. Ch. natum. Facile deinde concedes hanc Demosthenis excusationem, etiamsi uera esset, tamen esse futilem; an eum statuamus tam superbum fuisse ut, postquam in contionem prodire incepisset dedignaretur id gratum facere consanguineo suo, quod suum esse agnosceret his uerbis: *εἴ τι ἔχοι, Δήμων, ἐγὼ ποιήσω μὲν ὡς ἂν σὺ κελεύῃς· καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη*, aut parum eloquentia sua fretum ut ne paruam quidem *συνηγορίαν* recte additurum esse confideret, quippe qui usum iudiciorum dedidicisset? Sunt igitur haec quoque omnia aut obscura aut incredibilia aut aperte falsa.

Tria sunt quae statui possint de orationis huius auctore: aut Demosthenem eam scripsisse aut Demonem cuius causa agitur aut alium hominem nobis ignotum. Siue Demosthenem putas fuisse siue Demonem habita fuerit in iudicio necesse est; sin alius hominis est, aut patronus fuit ille Demonis, in cuius usum orationem scripsit, ut item ueram causam fuisse statuas, aut rhetor uel sophista qui causam finxit.

A Demosthene oratorum principe abiudicandam esse orationem obscuritatibus artificiis ineptiis scatentem longius demonstrare eo magis supersedeo, quod in hac sententia consentiunt quicunque recentioribus temporibus accuratius de ea egerunt et I. Herrmannus [62]) et Schæferus et Philippius. Eorum argumentis liceat addere nonnulla de loquendi genere. Quod factum est § 14—16, ut uerba aliorum directa oratione referrentur, proprium quidem hoc est earum orationum quae Apollodoreae nominantur, abhorret autem a Demosthenico usu nisi in rebus grauissimi momenti.[63]) Miro etiam dicendi genere usus est scriptor in his singulis locis, § 10: *οὓς οὐδ' ὑμεῖς ἀγνοήσετε ἰδόντες*. De § 11 iam

---

[61]) Oratio 35. [62]) s. Herrmannus in libello qui inscriptus est: die paragraphischen Reden des Demosthenes. [63]) Vide Lortzing de orationibus quas Demosthenes pro Apollodoro scripsisse fertur p. 41.

diximus. § 15: *ἔφη καὶ ἀναιδὴς ἦν* »adfirmauit et impudens« erat pro eo quod est: *οὕτως ἀναιδὴς ἦν ὥστε φάναι«*. Poeticum hoc est § 24: *τοσοῦτον οἶνον ἔπινεν ὥσθ' ὅμοιον εἶναι μανίᾳ*, ubi expectes: *μανέντι*. Perobscura illa § 19: *ἐν τῷ πλοίῳ τὴν συγγραφὴν ἔθετο*, ubi nescias utrum *τίθεσθαι* uerbo notio conficiendi an deponendi insit. Quibus adde illud in fine positum: *ἀλλὰ καὶ τὰ τοιαῦτα τῆς πολιτείας ἐξέστηκα*.

Alteram igitur amplexi sunt sententiam Schæferus et Philippius ut Demoni ipsi tribuerent. Cui sententiae si accedas, improbum hominem Demonem illum fuisse statuendum est. Iniustissimam enim hanc quae defenditur causam fuisse etiam Schæferus sensit qui diceret pag. 295: aut Demonem una cum Proto Zenothemidi insidias struxisse aut quod ueri similius esse uideretur ipsum Demonem deceptum fuisse a Proto. Hoc uidelicet additum ut Demoni parceretur; sed frustra: cum enim Demon ipse Protum perfidum esse dicat, hac re culpae in Zenothemin commissae non absoluitur: quando quidem flagitium est te ab alio deceptum ne damnum tibi inferatur innocentem hominem calumniis implicare. Meras autem calumnias esse quae Zenothemidi obiciuntur, comprobatur et multarum rerum quae narrantur incredibilitate et omnium testimoniorum et documentorum absentia. Fecisse igitur putandus esset id ipsum Demon quod uitio uertit creditoribus Zenothemidis § 12 his uerbis: *ὃν ἴσασι ψευδόμενον ταῦτα καθ' ἡμῶν, τούτῳ συνδικεῖν ἀναγκάζονται τοῦ συμφέροντος ἕνεκα τοῦ ἑαυτῶν*. Quodsi de exceptione ipsa[64]) Philippio adsentior Demonem contra Schæferum defendenti, de ceteris omnibus quae oratio continet in contraria abeo. Caueamus, inquit ille[65]) ne nos causam quae ab altera parte exponatur diiudicemus. At ego hoc dico: quae causa tam inusta esse uideatur ex oratione eius, qui dicit eam, profecto non fore ut iustior euadat, si etiam aduersarium audire liceat. Quamquam concedo in tanta testimoniorum penuria de Demonis, Demosthenis propinqui uita nos utrum honestus an improbus ille homo fuerit ignorare: at certissimum est etiam improbam causam prudentius ac scitius quam hac oratione factum est defendi potuisse. Quare si Demon aut ipse fecisset aut ab alio in suum usum scribi iussisset eum etiam ineptum hominem atque imperitum rerum forensium fuisse sequeretur: quod non cadit in eum quem constat auctoritate aliqua inter

---

[64]) Vide quae supra dixi p. 15. [65]) p. 592: „Diese Entscheidung ist bei einem so bescheidenen und immerhin einseitig aufgefassten Material unmöglich."

Athenienses fuisse, quem notum est in contione populo suasisse ut Demosthenem ex exsilio reuocaret.

Sed qualiscunque Demon ille fuit, non puto unquam quemquam de pecunia, quam mutuam dedisset, uerba facere ausum esse apud iudices Athenienses, quin tabulam uel syngrapham in qua scriptum id extaret, id quod primarium erat in lite mercatoria, recitari iuberet. Eius autem nullam mentionem fieri, nec adesse eam nec amissam esse, ualde suspitiosum est. Idem iudicium ferendum de multis illis difficultatibus quas inesse in hac oratione demonstrasse mihi uideor; quae cum in uera causa etiam si ab imperito actore habita sit, intellegi nequeant, facilem tamen habent explicationem in oratione quam finxerit homo rerum iudicialium et mercatoriarum non satis peritus, qui cum in initio non illepide quaedam aut ex aliis ueris litibus deprompsisset aut inuenisset ipse, quo longius progrederetur eo maioribus impediretur difficultatibus. Ipse autem falsarius ille ignorantiam suam atque rerum iudicialium imperitiam metuens ne proderet obuoluebat incredibili turba syngrapharum litium personarum: hoc enim fuco facto speciem quandam doctrinae et ueritatis se opusculo suo daturum sperabat. Sic ut Aristophontem suum nobis probaret, praeter eum inuenit nobis etiam Miccalionem quendam, cui item ut Zenothemidi uiam machinarum montrasset[66]); eum credo non magis inter uiuos fuisse quam Aristophontem ipsum. Obsecutus sum in eis quae supra dixi[67]) Philippio censenti Syracusanos feneratores una naue cum ceteris Athenas uectos esse, quod ita acceptum uelim ut si uera esset causa id esset obtinendum. Contra si ficta est oratio, quod nobis persuasum est, licet etiam statuere, cum in itineris narratione nunquam commemorentur illi, oratorem hoc sibi finxisse postea demum esse ab amicis Athenas aduocatos; hoc autem si uoluit scriptor, fecit id immemor satis longi itineris quo Syracusae ab Athenis separantur, immemor etiam parui temporis spatii mercatoriarum litium. Idem ei accidisse uidetur in § 16, ubi Protus prouocat ad Syracusanos magistratus.

At enim Philippius hanc meam sententiam iam prius quam proponeretur[68]) uidetur redarguisse. Obscuritas, inquit, et res paruae adcumulatae non sunt

---

[66]) § 11. [67]) p. 5. [68]) p. 593 dicit I. Herrmannum in extremis uerbis dissertationis suae eo inclinare ut orationem aduersus Zenothemin pro suspecta haberet. Nescio an nimis presserit Herrmanni uerba, in quibus hoc solum inesse uideo: non uideri eam a bono et perito causidico ne dum a Demosthene compositam.

propriae lusuum rhetoricorum, quippe quibus »in fronte inscriptum sit consilium suum.« Hoc quidem consilium orationis, de qua agimus, si non in fronte, at in fine inscriptum inuenio equidem: Demosthenis nomen in extremis uerbis positum indicat auctorem uoluisse eam pro Demosthenica haberi et quod pluris erat pro Demosthenica a bibliotheca aliqua emi. Eidem consilio deberi puto quod in fine orationis aduersus Dionysodorum additum est: ἐγὼ μὲν ὥσπερ οἷός τ' ἦν εἴρηκα. ἀξιῶ δὲ τῶν φίλων μοί τινα συνειπεῖν· δεῦρο Δημόσθενες. Quod cum saepissime Alexandrinae et Pergamenae bibliothecarum aetate factum esse res sit nota, non desunt etiam priora exempla. Isocratis e. g. orationum iudicialium bene multos fasciculos quamuis paucas conscripserit circumferri auctor est Aristoteles ipse apud Dionysium de Isaeo p. 576, inde ut adpareat iam illa aetate bibliopolas lucri causa aut ipsos sub illustri nomine orationes finxisse aut ab aliis fingendas curasse.

Nec minus miror, quod addidit Philippius, a rhetoribus res parui momenti cumulari non solere; nonne similem obscuritatem, nonne eandem diuersissimas res miscendi atque intricandi cupiditatem inuenimus in oratione nona Lysiacarum, quae inscripta est ὑπὲρ τῶν στρατιωτῶν? [69]) Nec dissimilis est quaestio de ea oratione, quae octauum locum inter Lysiacas obtinet, quamque frustra nuper Kirchnerus Lysiae reddere conatus est. Idem denique studium mendacia et ignorantiam nouis difficultatibus nouisque nominibus inueniendis dissimulandi deprehenditur etiam in multis documentis testimoniisque, quibus rhetorum industria complures Atticorum orationes ditauit [70]): qua doctrinae simulatione effectum est ut nisi qui penitus res indagasset suspitionem nemo habuerit.

---

[69]) Cf. Blassium qui in libro suo: „die attische Beredsamkeit von Gorgias bis zu Lysias“ p. 611 hoc iudicium de ea fert: „man hat nun die Wahl, ob man als Verfasser einen Sachwalter von geringer Begabung annehmen will oder einen spätern Sophisten, welcher den bestimmten Zweck verfolgte, die Schlichtheit und Natürlichkeit, nicht am wenigsten auch die Kürze des Lysias zu copiren. In der That, wenn man auf den Nebel sieht, worin der Fall gehüllt ist, auf den so mächtigen, jetzt aber so unbekannten Sostratos, auf die andern unbekannten Namen, die mit Fleiss gehäuft scheinen, endlich auf die Unklarheit auch der Zeit, so möchte sich diese letztere Annahme einigermassen empfehlen.“ Quae omnia etiam in orationem aduersus Zenothemin cadere nemo non perspiciet. [70]) Vide Westermannum in dissertatione supra laudata inprimis p. 81—105.

Reliquum est ut hoc loco commemorem quae die XXVIIII m. Aprilis huius anni rite concelebratis sacris Vniuersitatis nostrae Rector Magnificus publice de certaminibus eruditionis et propositis et proponendis renuntiauerit.

Ordinis Philosophorum Sectioni I, quae quaestionem de auctore orationum pro Apollodoro habitarum, quae Demosthenis esse feruntur, denuo tractari iusserat, tradita erat dissertatio una. Hanc dignam habuit quae praemio legitimo decoraretur hac sententia lata:

»Die unter dem Motto *πᾶν ζητούμενον ἁλωτὸν* eingereichte Arbeit zeichnet sich durch Beherrschung des Stoffes, allseitige Behandlung desselben, gute Methode, klares und besonnenes Urtheil aus. Sie bietet sowohl in Einzelnheiten, die mit der Hauptfrage nur indirect zusammenhängen, als auch in der Bearbeitung der letztern selbst manches Neue. Auch da, wo sie die Ansichten der neuern Gelehrten (Schäfer und Lortzing) lediglich bestätigt, gibt sie denselben oft erst die sichere wissenschaftliche Begründung. Die Section ertheilt demnach mit Befriedigung trotz einzelner Nachlässigkeiten des Stils der Arbeit den Hauptpreis.«

Schedula publice rescissa auctor inuentus est huius libelli:

IOANNES SIGG, Ossingensis Turicensis, philosophiae studiosus.

Ordinis Philosophorum Sectio II, quae hanc quaestionem proposuerat »die Eisensäure ist einer eingehenden Untersuchung zu unterwerfen,« item unam dissertationem acceperat, quam et ipsam praemio dignam iudicauit his uerbis:

»Der Verfasser der unter dem Motto: »Es ist kein Meister vom Himmel gefallen« eingereichten Bewerbungsschrift bespricht zunächst alle Arbeiten, welche über die Eisensäure und ihre Verbindungen publicirt worden sind. Die Darstellung ist erschöpfend, klar gehalten und gut gesichtet. Sie zeigt, dass Bewerber die Literatur über Eisensäure mit Verständniss studirt hat und darin vollständig zu Hause ist.

Im zweiten Theile seiner Abhandlung schildert Bewerber die eigenen Untersuchungen. Er hat, um die Zusammensetzung der Eisensäure festzustellen, mehrere ihrer Salze — offenbar mit Umsicht und Sorgfalt — dargestellt und

nach verschiedenen Methoden analysirt. Einige der eingeschlagenen Wege gaben unzuverlässige und nicht übereinstimmende Resultate; Bewerber hat jedoch den Fehlerquellen nachgeforscht und den Grund der Abweichungen entdeckt. Es ist ihm sodann nach andern und zwar verschiedenartigen Verfahrungsweisen gelungen, die Zusammensetzung der Eisensäure ausser allen Zweifel zu setzen. Zugleich berichtet Bewerber über mehrere interessante Reactionsverhältnisse der Eisensäure und schliesst seine Abhandlung mit einer Uebersicht der erlangten Resultate.

Dieser Theil der Abhandlung zeigt, dass Bewerber sich seiner Aufgabe mit Geschick und grosser Ausdauer unterzogen hat. Die Formel der Eisensäure ist durch ihn endgültig entschieden worden. Ist auch die Zahl der erlangten positiven Resultate eine ziemlich geringe, so liegt das in der Natur der Sache, namentlich in den grossen Schwierigkeiten, welche dem Studium der Eisensäure durch ihre grosse Zersetzbarkeit erwachsen. Die Section findet daher, dass die von ihr gestellte Preisaufgabe recht wacker gelöst worden ist, und beschliesst, dem Bewerber für seine Arbeit den Hauptpreis zuzuerkennen.«

Huius dissertationis auctor schedula rescissa inuentus est:

IOANNES DE MOLLINS, Lausoniensis, philosophiae studiosus.

Noua autem argumenta in annos MDCCCLXI—LXII proponuntur:

I. Ab Ordine Theologorum:

»Exegetisch-kritische Untersuchung über den sogenannten Segen Jakob's (Genes. 49, 1—28) und Segen Mose's (Deuteron. 33) im besondern über die historischen Beziehungen und die daraus folgende Abfassungszeit beider.«

II. Ab Ordinis Philosophorum Sectione I:

»Es soll für ein von dem Bewerber zu wählendes Jahr des zwölften Jahrhunderts nach Christo mit möglichst vollständiger Benutzung des gedruckten Materiales an Urkunden und Geschichtschreibern der Zustand der Bevölkerungen innerhalb des Gebietes eines der heutigen Reiche oder Nationalstaaten anschaulich geschildert werden. Wenn die damaligen Verhältnisse der heutigen Schweiz gewählt werden, so ist dem Bewerber freigestellt, sich an die jetzigen Kantonalgrenzen oder an frühere Landeseintheilungen zu halten.«

III. Ab Ordinis Philosophorum Sectione II:

»Die Einwirkung concentrirter Schwefelsäure auf die Alcohole der Aethylreihe ist, für mindestens drei Glieder derselben, in Bezug auf die relativen

Mengen von Produkten und unverändert gebliebenen Ingredienzien in ihrer Abhängigkeit von dem Mischungsverhältnisse und der Temperatur einer eingehenden Untersuchung zu unterwerfen.«

Quicunque autem uestrum, carissimi commilitones, his argumentis pertractandis operam nauauerint èos monemus ut dissertationes suas addita obsignata schedula nomen scriptoris continente et eisdem uerbis quibus dissertationem insigniuerint munita ante Kalendas Januarias anni MDCCCLXXIII Rectori Vniuersitatis Turicensis Magnifico tradant.